







114

1710 120


17

ORDINIS JURIDICI  
IN  
ACADEMIA VITENBERGENSI  
h. t. DECANVS,  
**JOH. CAROLUS  
NÆVIUS,**

J. U. D. P. P. Jur. E. Fac. Juridic. Assessor,  
& Curiā Provincialis Advocatus  
Ordinarius,

**BENEVOLO LECTORI**

*S. P. D.*






ORDINIS IURIDICI  
IN  
ACADEMIA VITIMBERGENSI  
H. F. DECANVS.  
IOH. CAROLVS  
NAEVIUS

J. U. D. P. J. U. F. Fac. Juridic. Altesior.  
Ordinarius

BENEVOLO LECTORI







ihil omnino inter mortales reperitur, quod non abusus corruperit: ætas subsequens Priscorum inventa ad vitia traxit: & quod ad rectitudinem mentis, aut honestam delectationem repertum, ad

avaritiam, aut libidines versum est: ut Rex Gothorum Theodoricus ad *Symmachum* rescripsit. *Symma-*  
Quin imo nec divina Oracula in eis, quæ salutem *chus Va-*  
nostram spectant, a contagio abusuum intacta *riar. l. IV.*  
mansere. Nam licet verbum DEI ad ingenio. *Rescr. si.*  
rum humanorum placita se flecti, inque sensus *pag. 257.*  
extraneos transformari non patiat: cum id origo omnis veritatis sit, quod hinc ex se ipso explicari, & a nullo judicari; juxta illud autem humana negotia quævis appendi eique non adversari debeant. Dies nihilominus diem docet & monumenta vetera testantur, quatenus divina veritas & verus DEI cultus, nec non genuinus Sacramentorum usus: quæve extrinsecus ad justum ordinem & devotionem, aut piam memoriam introducta, per pravam interpretationem & applicationem corruptum iverint. Et quid dicamus de corruptelis circa statuendas, & discernendas



De im-  
mani ty-  
rannide  
Inquisto-  
rum Por-  
tugallo-  
rum in  
Goa.

Farrig. de  
Jesuita-  
rum ne-  
fand. Cri-  
minib. in  
Provinc.  
Goïenn.  
perpet.  
Chovero-  
nius in  
Commen-  
tar. de  
public.  
Concubi-  
nariis.

hæreses, & multifarias artes Inquisitorum in Italia, Belgio, Hispania, Portugalia: imo ipsa India, quas Medicus quidam Gallus anonymus in peculiari Tractatu anno 1689. graphice descripsit. Quid de abusu sumtuosissimi ornatus templorum, Ταμείων seu Cibariorum, imaginum, Martyrum reliquiarum, Litaniarum, peregrinationum, Missæ pro mortuis, indulgentiarum, aquæ lustralis, & verbi, ut vocant, consecratorii ex opinione transsubstantiationis, chrismatismis & dogmatum, quæ principum petunt, aliorum, referamus? Sic maximus quoque abusus irrepsit olim circa res sanctas, quæ sub specie religionis & singularis venerationis pro talibus habitæ; usque adeo, ut monachorum quoque cuculli sanctimoniam speciem acceperint, ceu quibus mortui involuti, aut Franciscanorum cucullo sepulti se sanctificari credebant. Nec tacendi abusus nefandi circa secretum confessionis, quo Clerus non modo Principum consilia secretiora exquirere; sed & in sexu sequiori secreta naturæ rimari consuevit; sicut fetidum illum ab usum Petrus Farrigius in libello quoque singulari exhibuit. Et minus prætereundi abusus & corruptelæ circa Clericorum prohibita conjugia, usumque concubinarum ac ejus dispensationes, de quo Bermondus Choveronius Tractatum prolixum posteritati reliquit. Denique quomodo Theologia Scholastica paulatim in Sophismata delapsa sit, atque inanes quæstiunculas moverit; inutiles opiniones fabricaverit, multaque jurgiorum seminaria excogitaverit, queis scripturis sacris vis manifeste illata, in aprico est. Et, si licet, non omittamus eas quoque corruptelas, quæ



quæ in ipsum, ut vocamus, Jus Canonicum irre-  
 pserunt. Ubi enim magis ingeniosa avaritiæ præ-  
 cepta & rapinarum formulæ pietatis specie ad-  
 umbratæ reperiuntur, quam in Jure Papali? ibi-  
 que discere, si fas est, licet: Christi Patrimoni-  
 um esse regna secularia, castra, donationes, Fun-  
 dationes, opes & possessiones: Ecclesiæ vero  
 Primatum & Christi Sacerdotium in Imperio,  
 Regno & Dominatu consistere: itemque gladi-  
 um Christi esse potestatem temporalem, & sum-  
 mi Pontificis personam Petram referre & totius  
 Ecclesiæ fundamentum esse: quas nihilominus  
 corruptelas Concilium Tridentinum hinc inde  
 approbat. Nedum quod olim *Jesuita Balbasar*  
*Hagerus* scribere non dubitaverit: Se in edito  
 suo libello ad oculum demonstrasse: quod Sacro-  
 sancti, ut clamat, & Oecumenici Concilii Tri-  
 dentini decreta catholica cum Verbo DEI ad  
 amissim convenient; Augustanæ vero Confes-  
 sionis Doctrina longe ab eo distet. Quam men-  
 dacem deinde ostentationem *B. Hülsemannus* in *Hülsem.*  
 Tractatu alio solide refutavit. Sed propter ab- *in Mann.*  
 usum & corruptelas dictas in Jure Canonico re- *al. Can-*  
 pertas usus ejus tollendus non est. Siquidem *fess. Augu-*  
 etiamnum Illius Doctores creamus: quia potius *stan. vin-*  
 materiæ illius civiles spectandæ, quæ non modo *dic. ab*  
 externam Reipubl. quietem (quam Jus Civile pri- *iniqu. Col-*  
 mario intendit) sed & intrinsecus ad justitiam *lat. cum*  
 possessionum, & conscientiarum securitatem re- *Concilio*  
 flectit, ut materiæ usucapionum, juramentorum *Trident.*  
 conjugiorum, processuum, & similes ostendunt. *contr.*  
 Si vero rerum profanarum abusus expendere ve- *Hager.*  
 limus, metuimus, fore, ut in medium profun-  
 dum



dum dilabamur. Quot enim sunt, quos dominio rerum suarum, vel etiam proximi, vel potestatis concessæ, vel sui ipsius vitæ abuti conspiciamus? Et unicum adhuc modo abusum prolixius inspicere liceat: nempe qui publicis brabeis Virtutum Nobilitati pura & Dignitati Academica contingit. Cumque Virtus vel Equestris & militaris, vel politica & civilis sit; inde & Nobilitas duplex, Equestris & Academica resultat. Et quidem in utraque necesse est, ut Princeps, qui Majestate gaudet, Virtuti suum brabeum & characterem publicum decernat. Idque vel Ipsemet, vel per Academies expedit; & illic Equites, ab his vero Doctores, Licentiatos, Magistros & similes Graduatos in publicum prodire sinit. Ubi lubet abusum notare, qui hic circa exercitium supremæ Potestatis innotuit. Nempe quando Princeps creatis apud Exteros Nobilibus, aut renunciatis Doctoribus vigorem & autoritatem in suo territorio negavit. Quod cum primis eo tempore contigit, cum Galli Doctores Leydenses in Regno suo tanquam legitime creatos agnoscere recusarent; donec Baravi, memores tum Status sui nondum roborati, cum Rege Galliarum Henrico IV. anno 1596. hunc in modum, referente Metterano, pacti sint: *Wegen der Universität Leyden würde der König ersuchet, daß die Doctores, so daselbst promoviret, auch in Frankreich davor erkennet werden möchten, darüber der König seine Bewilligung in Holland überschicket, mit dieser Bedingung, daß diejenigen, so daselbst Promotion erhalten, in denen Frantzösischen Hohen Schulen kein Profession-Ambt bedienen möch,*

*Eman.  
Mettera-  
nus Hi-  
stor. Ba-  
rav. lib. 18.  
fol. m. 77.*



mōchten. Verum cum Batavi isto ævo a Cæsare  
& Imperio aliisve vicinis Regibus & Rebuspubl.  
pro Statu libero agniti, & Amici Istorum saluta-  
ti fuerint: hodieque Leo Istorum præpotens  
ipfos Gallos terreat, & coercere juvet; non du-  
bitandum, quin tum & hodiernum Batavi jus Aca-  
demias erigendi & gradus honorum distribuendi  
habeant, eoque olim gavisi sint. Neque enim  
Virtuti, ejusdemque præmiis publicis tam angu-  
sti cancelli ponendi sunt, ut extra territorium  
Principis, qui illud decrevit, splendorem suum  
amittat; quin potius illum ad alias Gentes diffun-  
dat. Proinde Princeps Jus Gentium offendere  
videtur, qui virtutis characterem publicum ab  
alio Principe Christiano designatum, in suo ter-  
ritorio agnosci vetet: licet id non improbemus,  
si Princeps extraneo Equiti, aut Doctōri in suo  
territorio non omnia jura & privilegia impertiri  
permittat, quæ suæ præcipue Nobilitati tribuit:  
sicut Germani extra eam promotos Doctores ad  
munus Assessorium Cameræ non admittunt: &  
in Academia Colonienſi nemo ad Professoriam  
Cathedram admittitur, si albi Doctōratus lau-  
ream obtinuerit. Sed hæc mittimus, & arbitra-  
mur abusus sequioris æstimationis extranei alicu-  
jus Equitis, aut Doctōris, aliusve Graduati magis  
dispalescere, si causam & modum conferendi præ-  
mia Virtutum, pro diversitate Nationum, ali-  
quanto diligentius inquisiverimus. Discrimen  
enim inter Gentes hic conspicitur. Sic Nobili-  
tatis dignitate Romani pristini eos decorarunt,  
qui vel Romæ, vel in Municipiis Magistratus ma-  
joris munia gesserant, aut ex Eis oriundi virtutis  
semi-

*Ordinat.  
Camer.  
part. 2.  
Tit. 3. §.  
desglei-  
chen fol-  
ten 2c.  
Feltman  
de Tit. bo-  
nor. lib. 2.  
c. 10. §. 12.*



semina ostendebant; hincque Equestris Ordo Seminarium Patriciorum & Senatorum dicebatur. Verustiores tamen Nobiles ostendentes plurimas Antecessorum imagines, qui functionibus illustribus inclaruerant, præ junioribus quadam prærogativa gaudebant: & recens Nobilitas (comma

*Carol. Si.* nonnunquam novorum hominum experiebatur.  
*Liv. Lib.* Qui mos Reipubl. proficuus fuit. Juventus enim  
*22. 5. lib.* eo ad studia virtutum & disciplinarum honesta-  
*7. pr. Ant.* rum excitata spem fecit, ut Respublica per Eos  
*Matthæi* quoque olim in partibus eis credendis rite gu-  
*de Nobi-* bernari queat. Et simile brabeum virtutum Tur-  
*lis. lib. II.* cæ hodiernum observant, & Nobilitatem suam ex  
*cap. 1.* fortitudine præstita dimetiuntur: Verum eandem ad hæredes transire non permittunt; sed virtutem ejusque characterem cum persona mori patiuntur. Longe vero alia Nobilitatis ratio apud Germanos & plerosque Europæ Populos viget: qui fortitudini quidem nullo non tempore etiam plurimum tribuerunt; partem tamen semel nobilitatem per sanguinis propaginem ad posteros transplantari volunt. Unde is demum pro vero Nobili habetur, qui partem virtute & fortitudine feuda nobilia cum insignibus clathradis a Principe jure hæreditario possidet. At vero cum virtutes & scientiæ civiles bona hæreditaria non sint, & furculus sæpe degeneret a stipite, unde exempla abusus dignitatis Equestris documenta & quandoque nocumenta dant. Porro Nobilitas civilis, seu Academica præmia virtutum in Scholis publicis, autoritate quoque Supremi Principis dispensari solet. Ita olim Hebræi gradus eruditionis distrinxerunt, eosque peculiaribus titulis



tulis insigniverunt, sicut eos ex Jacobo Altingio  
Conringius prolixè descripsit: nec non de Sinen-  
sum tribus gradibus Nicol. Trigaucius edocet. *Alting. de*  
Sed pristina & extera mittimus dispensationem Di- *Republ.*  
gnitatum Academicarum in Germania vicinisque *Scholast.*  
Regnis aspecturi. Ubi doctrina virtutum qui *Ebræor.*  
dem diu in Monasteriis delituit: Cum vero per *Conring.*  
iniquitatis Mysterium flos Germanicæ Nobilitatis *de Anti-*  
ad Expeditiones in terram sanctam, ut eam ex in- *quit. Aca-*  
fidelium manibus eriperet, evocatus, misereque *dem. Sup-*  
deinceps necatus emeruerit, bella intestina plu- *plem. 7.*  
ra secuta; & seditiosi morus, rerumque abusus *pag. 363.*  
nullam partem Rerumpublicarum, aut Statum *Trigauc.*  
incorruptum reliquerunt: consequenter & stu- *de Expe-*  
dia bonarum artium, per Cleri & Monachorum *dit. Sinic.*  
ocia, luxuriam, & libidinem in Monasteriis nimium *lib. 2. c. 5.*  
quantum neglecta, decremента cœperunt; cum-  
primis, quando tyrannis Molis Hadrianæ in tur-  
bido isto Statu potentiam & Hierarchiam suam  
stabilire & omnes dignitates suo arbitrio subji-  
cere satagit. Donec demum Nobilitas Germana,  
major non minus, atque inferior, abusus & cor-  
ruptelas Status sui sedisque Romanæ arrogantem  
Potentiam persentiscere cœpit, & susque deque  
habito corrupto Clero & Monachatu, de Viris ex  
sacris humanisque Codicibus eruditissimis sibi prospere-  
xit, nec non de fundandis Emporiis bonarum ar-  
tium, seu Academiis, cogitaverit: præeuntibus im-  
primis Rebuspubl. vicinis, quæ jam revocatis Juris  
Romani sancitis, in usum scholarum forique statum  
turbidum & inveteratos abusus emendare studue-  
runt, & merentibus Acad. Dignitates distribuere-  
runt. Cujus utilitatem perspicientes Ei, qui Equestri  
præ-



prærogativa splendebant, Principibus applaudentibus, nobilitatem sanguinis sui cum civili dignitate in Academicis conjungere non dubitarunt. Id quod quidem in Germania serius & circa finem demum seculi XIII. it. Seculi XIV. & XV. contigit. In Italia vero, Gallia & Anglia solennes Promotiones citius immotuerunt. Unde plures ex Germania Nobiles in Italia & Gallia gradus Academicos petierunt. Deinceps cum ab Imp. Carolo IV. anno 1348. Academia Pragensis ad exemplum Parisiensis erecta, & illuc Doctores, artiumque Magistri ab exteris accessit essent, eo tempore gradus Doctrinæ, Licentiæ, Magisterii & Baccalaureatus in Germania magis in notitiam venerunt. Quinimo & paulo post in Germania Academia Heidelbergensis, Colonienfis, Vienneſis, Erphordienſis, aliæve cum potestate creandi Doctores, Licentiatos & Magistros fundatae sunt. Ubi rerum monumenta testantur, quod in auspiciis & gloria recenti Dignitatum Academicarum Principes, Comites & Barones aliive Viri illustres & nobilis profapiae se Doctores & Magistros Theologiae, Juris, aliarumque Artium publice renunciari passi sint: & inde ad Episcopatus, Canonicatus, variasque Dignitates & munia Palatina, Politicave vocati & adhibiti sunt. Et ne in horum generali enarratione subsistamus, dicta per subjecta specifica illustrabimus. Sic in seculo XIII. eminet Lupoldus de Bebenburg, nobilis Francus, qui primus Juris utriusque Doctor in Germania comparuisse dicitur: & inde Canonicus Moguntinus, & Herbipolensis, ac demum Episcopus Bambergensis factus est, de

*Iterum de  
Gradib.  
Academ.  
cap. 3. §. 7.  
segg.*



de quo Trithemius, Abbas Spanheimensis testatur, quod *Johannis Andreae F. C. Bononiensis Auditor, Trithemius* & tam in divinis, quam secularibus literis nobiliter dominus Libellus, ingenio subtilis & eloquio clarus extiterit: pro-  
ut Libri ab eo relictis testes sunt. Eodem modo ex Academia Pragensi in Germaniam transit eodem seculo Benedictus de Wallstein, qui titulum Magistri, nec non Ludovicus de Wenden, qui Doctoris Juris, & Dietericus de Niem, qui quoque Magistri Theologiae & Decretalium Gradum retulit: quorum prior Episcopus Osnabrugensis & posterior Verdenensis factus est. Tum in ipsa Germania Academia Heidelbergensis sibi gratulata, quod Princeps Hohenbergensis, Albertus, infamam Doctoris Juris a se receperit: Quem in prioribus dictis tribus Germaniae Academiis secuti sunt Viri Nobilissimi Sebastianus de Hornhaim, Udalricus de Albach, Johann de Wallerod, Petrus de Haugwitz, qui omnes J. U. Doctorum, & supremus Licentiati Decretalium titulos assumere non erubuerunt. Atque hos in seculo XIV. & XV. longe plures secuti: ex quibus, praesente Arnol-  
do de Reyger Equite Thalanti & J. U. D. inque Aula Septemvirali Brandenburgica Confiliario, dum viveret, splendido, referam; utpote Johanna de Schleunitz, Melchiorum a Stamheim, Dietericum de Bruckdorff, Ulricum de Reckberg, Johannem de Schönberg, Vincent a Molsdorff, Christoph ab Hagen, Bernhardum de Breitenbach, Nicolaum de Heinitz, Thomam Löserum, Sigismundum Pflugium, Ottonem Spiegel, Magnum de Schellenberg, Georgium de Boinebourg, Gerhardum de Gänderot, Erasmus



num a Münckwitz, Everhard a Weihe, & alios  
plures, qui partim Doctoris Theologiae, plures  
vero Doctoris & Licentiatii Juris Gradus sibi im-  
pertiri non dedignati, & deinde functionibus Epi-  
scoparum, Canonicatum, Dignitatum Palati-  
narum, nec non in Judiciis sublimioribus Directo-  
rii & Assessoratus muniis praefuerunt. Quibus ad-  
huc Conradum Metzschium addimus, qui anno  
1542. J. U. D. creatus, & inde Serenissimi tum Ele-  
ctoris Brandenburgici Consiliarius & Legatus ad  
Diapas Imperii factus est; nec tacebimus Joachi-  
mum a Beust JCrum quondam Vitebergenf. sat  
inlyctum, qui gradum Doctoris Juris Bononiae  
anno 1548. assumpsit, & postea trium Electorum  
Saxoniae, Mauricii, Augusti, & Christiani I. Consi-  
liarius inclaruit: duosque Conjuges nobiles: al-  
teram ex vetusta Familia Brandiorum de Lindau,  
a Visenburg, & alteram ex Gente praenobili Lö-  
ferum in Leipnitz in matrimonio habuit. Quin-  
imo in superioribus seculis Doctores Equites a  
Nobilibus communibus in Recessibus & Expedi-  
tionibus publicis Imperii distincti, & priores praerogativa merito dignati sunt. At enim vero, sicut  
inter mortales assoler, tempora & mores mutan-  
tur, adulterante plerumque abusu optima alioquin  
Majorum instituta: ita hic idem contigit. Ne-  
que vero errabimus, causam ejus sicubi secuta tem-  
pora Mavortia allegemus, ubi fortitudo militaris  
civilem nobilitatem denuo, tanquam otiosam &  
utilitati praesenti minus servientem, suppressit;  
Viteberga tamen nostra non ita dudum Viris il-  
lustribus & ex praenobili profapia oriundis gavisus  
est, qui in cathedra superiori scientiam legalem,  
digni-

*Dn. Bud.  
deus in  
Univerf.  
Hiflor.  
Lexic.  
voc. Metz-  
schium.*



dignitate Doctorali dignam, cum laude ostenderunt. Hinc dissimulamus abusum, quando hodie Nobiles quidam, iudicio præcipiti, dignitatem Academicam nauseabundiam aspiciunt. Sed quid dicamus de Nobilibus? Eo enim res venit, ut, si quis Doctor Comitis alicujus; nedum Principis Consiliarius, utut titularis tantum, evadat, vel Academia, vel Gymnasii Professionem, vel etiam aliquando tenebrosæ Scholæ trivialis Rectoratum nanciscatur, ei character publicus eruditionis suæ illico sordere incipiat, & nomen id, quo declaratus, qualis est, & pro quali habendus sit, abominetur. Sed suum cuique pulchrum: & non omnium una mens, non una indoles & conditio est. Illibatus vero Academiis suis honos maneat: & Nobilibus ingenuisve præstitæ suæ industriæ in disciplinis & Artibus brabeum dignum porro largiatur, ut olim Reipubl. operas gloriosas præstent, & propriis oculis, quod justum, quod rectum, quod utile, usurpare & penetrare possint! Non enim proficuum, sed noxium est, alienis & subsidialibus, imo quandoque beneficialibus oculis sua commodamintueri. Quod tandem abusum & vitia ævi circa causas pias concernit, de eis Clarissimus Candidatus noster DN. CAROLUS OTTO RECHENBERG cujus causa has operas suscepimus, in sua Disputatione Inaugurali erudite & prolixius differet. Cumque de Illius natalibus, vita & studiis nunc pro instituto Majorum, aliqua commemoranda sint, modestia fecit Candidati, ut in Antecessorum Suorum laudes latius in non excurreret, sed modo paucos ad instar plurimorum, qui Virutibus & meritis suis in Ecclesia & Re Litteraria fatis incla-



ruerunt, nominaverit. Natus est Candidatus no-  
ster in percelebri Lipsia, omnis elegantis disci-  
plinæ & artium rerumque optimarum Emporio  
locupletissimo, anno O. S. cio 100 LXXXIX.  
VI. Calend. Decembr. Parentem habet, diuque ad  
communem utilitatem hospitem & incolumen ex-  
optat Virum maxime Reverendum & de Ecclesia  
reque Literaria optime meritum DN. D. ADA-  
MUM RECHENBERGIUM, *Theologum in  
incluta Lipsiense Academia Primum, & in Saxoniam  
nostra, non minus atque apud Exteros, longe celeberrimum:* Matrem vero *Susannam Catharinam*  
Matronam dotes Sui sexus superantem & hone-  
statis pietatisque laude inclytam & nulli secun-  
dam: Quæ filia est Theologi olim incomparabi-  
lis, DN. D. PHILIPPI JACOBI SPENERI,  
quem Reges & Principes, dum viveret, venerati,  
Ejusque vocem, stylumque in afferenda verâ,  
non larvata pietate & sancta fide nostra admirati  
sunt. Siquidem Hic, Vir summus, in Juventute  
sua in anno 1654. ad Ephoriam & Informationem  
*Serenissimorum Principum & Consortum Palatinorum  
Birkenfeldensium* DN. CHRISTIANI & DN. JOH.  
CAROLI admotus. Deinde anno 1686. in ætate  
provehenti Potentissimo Electori Saxonie JOH.  
GEORGIO III. felicissimæ memoriæ ad Conciones  
Aulicas, Confessionem, & Consilia Ecclesiastica: &  
demum an. 1691. a Gloriosissimo juxtaque Poten-  
tissimo Rege Prussorum ad Præposituram & In-  
spektionem, Consiliaque Consistorialia Berolini vo-  
catus, & ubique celebritatem nominis posteritati  
commendavit. Quorum Parentum laudatissimo-  
rum præcepta cura fuit, ut Candidatus noster veri  
Chri-



Christianismi fundamentis imbutus lingvas, bonas artes scientias necessarias, & quæ modo ætatem ejus ornare & juvare possunt, addisceret. In quorum ponendis rudimentis Viri nunc Per-Reverendi M. SAMUELIS BARTHELII, *Pastoris Ecclesiæ Osteraviensis* fidem & industriam laudat: Cui deinde manum fidelem in literis humanioribus & artibus porrexisse tradit Viros Clarissimos M. LUDOVIC. CHRISTIANUM CRELLIUM, tum *Sobolæ Senatorio Nicolaitanæ Rectorem, nunc in Academia Patria Philosophiæ Profess. Extraord.* itemque SCHWARZIUM, DRECHSLERUM, & PEZOLDUM, quorum omnium in docendo dexteritatem prædicat. Atque post hæc jacta felicia fundamenta animi ad studia Philosophica applicuit, & in Academia Patria Virorum Excellentissimorum opera, velut in literatura Græca DN. GODOFREDI OLEARII, in Philosophia Civili DN. DN. MENKENIORUM, in naturali DN. D. CYPRIANI, & in Mathematicis DN. WOLFII, *jam in Academia Regia Fridericiana Disciplina hujus P.P.* se usum esse cum gaudio recordatur. Quo ve cursu Philosophico successu felici absoluto, laurea Magisteriali ornatus in publicum processit, & Dissertationem de *Autoritate Historiæ in probandis questionibus juris & facti* cum laude habuit. Nec minus dictis studiis Collegia alia Politica & Historica, cum primis in *illustris Pufendorffii libellum de Off. H. & C. & ad ipsius Introductionem ad Historiam auditoribus frequentanda* adjunxit. Demum vero de Scopio Studiorum cogitans adauxit scientiarum disciplinarum per enixa studia Juris Civilis & Canonici: & quidem sub auspiciatissima directione Magnifici Ordinis JCrorum Ordinarii ibidem DN. D. LUDERI MENKENII



NII JCrī de Jurisprudētia & publico in dies merē-  
ris, & studia favoreque aliorum JCrōrum Excellē-  
tissimorum DN. DN. D. FRANCKENSTEINII.  
SCHREITERI, & TYTH. Insuper & prāter  
velitationes privatas, specimē suā legalis sciētiā  
per Disputatiōem publicam sub Prāsidiō prālau-  
dati DN. D. SCHREITERI de Origine Juris Saxonici  
cum applausu defendit. Et demum, ut majori fi-  
ducia res suas tractet, ad Academiā nostram se nu-  
per contulit ab Ordine Juridico publicum eruditio-  
nis testimonium periturus. Cumque prāvio primo  
accuratori Examine, ita se exhibuerit, ut communi  
omnium suffragio decretum, Ei pandendam esse  
viam ad summos Juris utriusque honores. Candi-  
datus noster nunc ejus rei gratia, & ut petiti sui com-  
pos reddatur, futuro die 30 Mensis Septembris,  
nempe Jovis, fortunante DEO! Dissertatiōem  
Inauguralem sub Umbone Viri Excellētissimi &  
JCrī famigeratissimi DN. D. BALTH. WERN-  
HERI, Pand. Prof. Publ. & annexorum Collegiorum  
*Assessoris gravissimi de Eo, quod impium et injustum est  
circa pias causas, publice & solenniter habebit. Cui  
Panegyri, ut Magnificus Academiā hujus Pro-Re-  
ctor, Patresque & Musarum Cultores Universi in-  
teresse atque Candidato certamen eruditum inituro  
favere non dedignemini observantissime rogamus  
& obtestamur. Cujusque favoris memoriā Nos  
utrique semper erimus immemores nullam prāter-  
missuri occasiōem, ex qua modo enixa nostra vo-  
luntas officia obsequiosa, & cultum quoque demon-  
strandi apparere possit. P. P. Dom. Trinit.*

An. MDCCX.

VITEMBERGAE, LITERIS SCHEFFLERIANIS.











WITTENBERG, Diss., 1710

ULB Halle  
005 361 77X

3











114

1710 120

17

ORDINIS JURIDICI  
IN  
ACADEMIA VITEMBERGENSI  
h. t. DECANVS,  
**JOH. CAROLUS  
NÆVIUS,**

J. U. D. P. P. Jur. E. Fac. Juridic. Assessor,  
& Curia Provincialis Advocatus  
Ordinarius,

**BENEVOLO LECTORI**

S. P. D.

